

gnanda explicatione adeo menti s. doctori a versa, et quæ solum quoquo modo explicatio est? Sane ejus falsitas manifeste se prodit Nam s. doctor expresse in loco citato primi sentent. dist. XLI, dicit: « Gratiam non eligi homini, sed prædestinari. » Et deinde docet ante prædestinationem et ordinationem mediorum præcedere voluntatem finis, id est, gloriæ, ad quam pertinet electio, et dilectio, qua vult illud bonum, seu finem aliquibus præ aliis: sed auxilia, et gratia efficax, usque ad perseverantiam, sunt media quibus perducimur ad finem, non finis ipse: ergo illa electio quæ præcedit prædestinationem, seu ordinationem mediorum, non est electio ad gratiam efficacem, et ad auxilia quæ sunt media, sed ad ipsam gloriam, quæ est finis, non ut continetur in gratia, et in mediis; sic enim est voluntas mediorum, non finis. Nec obstat locus D. Thomæ ex hoc articulo quarto.

XXIV. Ad primam ducit quod in collatione gratiæ, et gloriæ attenditur electio, non tamen dicit electionem ad gloriam fuisse ante meritum, et ante prædestinationem gratiæ. Levis ponderatio. Dixerat id in corpore articuli, ad quid debebat repetere? Si enim paulo ante probaverat voluntatem finis præcedere prædestinationem, et ad hanc voluntatem finis pertinere electionem, quæ tale bonum vult aliquibus præ aliis, quid clarius ad ponendum quod electio ad gloriam est ante prævisa merita, et ante electionem, seu voluntatem dandi gratiam? Itaque electio attenditur in collatione gratiæ, et gloriæ, sed ordine suo: prior ex parte finis est electio ad gloriam, sed hæc influit in prædestinationem, quæ præparatio est mediorum, et inde derivatur voluntas dandi gratiam, quæ est medium ad illum finem: actus enim præcedens

includitur virtute in sequenti, ut docet quæstione sexta de veritate, articulo primo ad primum. Unde nec dixit S. Thomas dari electionem ad gratiam, sed in collatione gratiæ attendi, quia fit collatio gratiæ in virtute electionis præcedentis ad gloriam.

XXV. Secundam solutionem exclusivam supra syllogismo meo videri manifesto, ex verbis D. Thomæ composito, ostendendo secundam propositionem. Quod autem fatigatur ille auctor in explicando electionem quam D. Thomas ponit esse electionem mediorum, non ipsius gloriæ, frustraneus labor est, cum manifeste S. Thomas doceat quod illa electio præcedit prædestinationem omnibus locis supra citatis, sed prædestinatio est circa media, seu circa ea quæ sunt ordinanda ad finem, ut dicit in hoc articulo quarto et aliis locis citatis; ergo electio de qua loquitur non est electio mediorum sed personarum ad illum finem. Et expresse id docet S. Thomas, tum in hoc articulo quarto dum dicit, quod: « Electio pertinet ad illam voluntatem finis, in quantum hoc bonum vult aliquibus præ aliis; » ly autem hoc bonum, refertur ad finem, de quo paulo ante hoc usus fuerat: electio ergo illa est personarum ad illud bonum talis finis, non mediorum. Clarius quæst. VI de verit. art. I: « Præexigitur etiam electio per quam ille qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur qui non hoc modo in finem diriguntur. » Et solutione ad tertium: « Electio prout hic accipitur pertinet ad ipsum qui in finem dirigitur; prius autem est accipere illum, qui in finem dirigitur, quam ipsum dirigere in finem. » Quomodo ergo iste auctor potest interpretari D. Thomam de electione mediorum, cum tam evidentem loquatur de electione personarum ad finem,

## ARTICULUS III.

*Fundamenta ex ratione.*

seu ad gloriam? Certe aut non vidit aut dissimulavit ista loca D. Thomæ, illa autem ponderatio, quam adducit ex verbis D. Thomæ cum quosdam reprobet, etc. reprobatio autem apud D. Thomam non est exclusio a gloria, sed denegatio gratiæ congruæ, omnino aliena est a mente s. doctoris cum expresse ponat reprobationem pro exclusione a gloria. Expresse enim dicit in hac quæstione, art. III quod: « Ad divinam providentiam pertinet ut permittat aliquos ab isto fine deficere, et hoc est reprobare. » Clarius in prima ad Annibaldum, distinct. XLI, quæstione unica, art. III: « Voluntati, inquit, divinæ de salute hominum duplex voluntas opponi videtur, scilicet de contradictorio secundum quod vult aliquem non salvare, et voluntas de contrario secundum quod vult aliquem damnare. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salvus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ, sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito inferatur. » Ergo si negatio gloriæ antecedit omnem rationem ex parte voliti, datur ante negationem gratiæ. Et sic tandem D. Thomas quæst. VI de verit. articulo primo ad ultimum dicit quod: « Reprobatio directe non opponitur prædestinationi, sed electioni, qua qui eligit, unum accipit, et alterum rejicit, quod dicitur reprobare. » Sed secundum D. Thomam prædestinatio versatur circa media, et confert gratiam, electio autem circa gloriam quam vult quibusdam præ aliis: ergo reprobatio est exclusio gloriæ, priusquam sit denegatio gratiæ. Ergo illa explicatio est contraria D. Thomæ.

I. Ut fundamentum hujus sententiæ aperiatur, illud præ oculis habendum est, quod in illa voluntate electionis ad gloriam, et dilectionis ipsius finis, non negamus merita futura contineri, et attingi, sed tamquam effectus illius electionis, e media illius finis, non ut motiva ad diligendum finem, et eligendum unum præ alio, quasi Deus prius videat merita orta ex gratia, et ex illis moveatur ad eligendum istum ad gloriam præ illo, quia in hoc invenit merita gratiæ, non in illo. Sed dicimus quod Deus ex motivo suæ puræ misericordiæ, quam vult cui vult, et præstat cui præstat, et ex suo mero beneplacito elegit vasa misericordiæ ad regnum, et gloriam suam dandam illis ut coronam, et inde respexit merita ut effectum, non ut motivum talis electionis: hoc enim commune est omni intentioni, ut distinguitur a simplici voluntate, quod respicit finem, et vult illum, non absolute, sed relate ad media, et cum ordine ad ipsa, ita quod media non intrant ibi, ut motivum, et ut ratio prior ad finem, cum finis sit prima ratio, et id cujus gratia eliguntur media: si autem media rationem motivi indicerent, et rationem importarent volendi finem, essent tamquam id cujus gratia finis acceptaretur; et sic non se haberent ut media, sed ut finis respectu ipsius finis, quod repugnat. Quare media intrant ibi ut effectus, seu ut quid derivatum ex fine, ita ut finis sit ratio mediorum, et id cujus gratia media sunt volita, media vero ut volita in vi finis; et sic derivata ab ipso in genere voliti.

II. Cæterum est hic notanda valde



differentia quædam inter media quæ solum moraliter inducunt ad finem, seu perducunt, et inter media physica, quæ ipsum virtute sua assequuntur aut producunt, ex ejus indiscutione, fere tota hallucinatio in hac parte orta est. Nam media physica, et moralia in hoc quidem conveniunt, quod in quantum media volita sunt in vi finis, ita quod appetibilitas istorum derivatur ex appetibilitate illius; sed tamen in ratione perducendi ad finem, et assequendi ipsum valde differunt, quia physica media virtute sua faciunt quod faciunt, id est, virtute physica quam habent, perducunt ad finem, aut deficiunt a fine, si virtus eorum non possit usque ad illum. Media autem moralia cum solum moraliter influant, indigent rursus ad suum officium præstandum movere alicujus voluntatem ut ad finem perducatur, quia ipsa vi sua non possunt; et hoc est moraliter concurrere, scilicet ut conditio, vel occasio aut ratio quæ moveat aliquam voluntatem, ut eis positus, finem inducat, sicut merita, vel preces quæ assumuntur ut media ad dandum aliquem finem, ipsa etiam postquam media sunt, et supponunt finem cuius gratia sunt volita, imo postquam in se sunt exhibita, cum non possint ut sua physice finem ponere, debent morali modo influere, scilicet movendo, et attrahendo voluntatem alicujus ut illis positus finem inducat. Cæterum ista attractio, et motio non est per modum finis, et ejus gratia, quia merita non se habent ut finis præmii, sed ut media, aut conditiones requisitæ ut moveatur animus alicujus ad ponendum, vel inducendum præmium, et sic ubi interveniunt media moralia, v. g. merita vel preces, qui intendit, et ordinat de tali fine, et mediis, dupliciter movetur in voluntate: primo a bonitate finis, ut ab eo cuius

gratia operatur, ut ratione illius velit ponere media sive moralia, sive physica. Secundo, movetur a mediis moralibus, ut intuitu illorum non moventium ut finis, sed moventium ut media aut conditio requisita in executione, et exercitio moveatur voluntas aliqua ad exequendum, et ponendum physice finem quod non possunt facere ipsa merita vi sua physica. Itaque intuitu illorum movetur, non ad volendum, et intendendum primo finem, tamquam ista præbeant motivum ut ille finis ametur, sed intuitu illorum solum movetur, ut ad exequendum in re assecutionem finis, suppleat voluntas dantis præmium id quod facerent illa media si essent physica, scilicet physice ponere finem, quod quia merita facere non possunt, movent voluntatem præmiatoris ut faciat. Sed totum hoc est in ordine executionis: et tamen quia inventur ibi intuitu meritorum moveri voluntatem, et moveri ad dandum ipsum finem, scilicet præmium, facile paralogizavit mens aliquorum, ut totum hoc intelligeret de fine, ut volendo, et amando in intentione.

III. His suppositis, uniamus ad tradenda fundamenta nostræ sententiæ, quæ sumuntur tum a posteriori, tum a priori, tum a speciali ratione Dei providentia, qui voluntate sua debet dare merita, et debet dare finem, non autem supponere merita, sicut princeps creatus dat præmia supponendo merita, sed facere; et sic in prima sua voluntate, implicat ab eis moveri circa finem.

A posteriori ergo ratio ex eo desumitur, quia gloria quantumcumque præsupponat merita, et intuitu illorum detur etiam ut corona, et præmium, tamen in sui assecutione dependet a conditione quadam liberaliter, et gratuito danda a Deo:

ergo non potest electio ad gloriam, etiam ut coronam præscindere ab aliquo motivo gratuito, et liberali, et habere pro adæquato motivo suæ efficaciam, et discretionis a reprobis sola merita: imo principaliter petit ex motivo gratioso, et liberali efficaciam eligendi habere, et discernendi a reprobis, si etiam positus motivis efficaciam habere non potest, neque ad effectum perducit ipsa gloria ut corona, nisi ex aliquo gratis, et misericorditer superaddito. Consequentia patet, quia in tantum electio ad gloriam incipit efficax esse, et efficaciam habere, in quantum respicit ipsam gloriam, non solum ut volitam in effectu, et per modum finis communis reprobis, et prædestinatis (ubi etiam est volita ut corona inefficaciter, et communiter omnibus proposita, si quidem etiam reprobi perdunt gloriam, ut coronam, juxta illud Apocalyp. III: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, quia ad hoc dicunt oppositi auctores sufficere simplicem affectum finis: sed volitam ut in effectu obtinendam et in eo in quo non communicant reprobi, sed discernuntur prædestinati a reprobis: ergo si in hoc ipso quod est de facto obtinere gloriam, et efficaciter discerni a reprobis dependet illa gloria, sic de facto obtinenda ex aliquo pure gratuito, et non ex meritis solum, manifestum est quod electio prima ad gloriam ut efficax, et ut discretiva a reprobis, non est ex meritis, sed ex aliquo pure gratuito superveniente ipsis meritis. Nec sufficit ad hoc dicere, quod dependet ab aliquo gratuito a quo oriuntur merita, scilicet a prima gratia, et auxilio, et vocatione quæ omnino gratis dantur a Deo. Non inquam sufficit, quia ista gratia, et auxilia, in quibus fundantur merita, adhuc possunt esse communia reprobis, et prædestinatis, quia

multi reprobi habent primam gratiam, et habent multa auxilia, imo et multa merita, et tamen amittunt illa, et reprobantur: ergo ex istis gratuitis donis quæ antecedunt merita, non potest sumi motivum eligendi ad gloriam efficaciter, et discernendi a reprobis, sed loquimur de illo motivo quo discernuntur prædestinati a reprobis, prout efficaciter assequuntur gloriam: si enim hoc est gratuito, et liberaliter collatum, et superadditum meritis: ergo est illa electio ut efficax ex non meritis, et gratis. Et sic eadem linea qua oppositi auctores arguunt contra nos, reciprocamus argumentum contra illos, scilicet quia ipsi ideo putant non esse efficacem electionem ante merita, quia non datur de facto, nisi ut corona, et correlative ad merita: ergo ut efficax non nisi ex meritis. Nos e contra retorquemus. Etiam positus meritis, non datur corona illa de facto, et efficaciter, et ut discernitur a reprobis, nisi ratione alicujus gratuito superadditi, et a Deo donati: ergo ex non meritis datur electio absolute, et simpliciter.

Antecedens autem hujus argumenti probatur, quia quantumcumque ponantur merita ex gratia facta, non potest dari gloria, etiam ut corona nisi apponatur perseverantia finalis, quæ ultimo introducit in gloriam, et sine qua nulla datur gloria. Sed ista perseverantia non supponitur a Deo, nec datur ex meritis, sed omnino gratis, ut contra Massilienses docet Augustinus libro de bono perseverantiæ: ergo dependet gloria ut de facto data ab aliqua conditione, et motivo omnino gratuito præter merita. Si ergo ideo dicitur electio ad gloriam non esse efficax ante merita, quia non datur de facto, nisi ex meritis, cur etiam non dicitur ex motivo gratuito Deum eligere efficaciter, quia elec-



tionem ut de facto dandam, et ut discernit prædestinatum a reprobo, non nisi ex dono gratis collato, et superaddito ad ipsa merita vult, scilicet ex perseverantia finalis?

IV. Dices primo: Perseverantiam non esse titulum ratione cuius datur gloria ut corona, sed conditionem sine qua non attingunt præmium ipsa merita: evectantur enim merita, et tolluntur, si non perseverent; sublatis autem meritis non est mirum, quod præmium non detur. Quando tamen datur, perseverantia supponitur, sed gloria titulo meritorum datur, quia ut corona datur; et sic non dicitur dari gratis, sed ex debito, licet perseverantia gratis detur.

Secundo, conceditur quod electio non ad gloriam, sed ad ipsam perseverantiam, quæ est gratia, et electio gratuita, quia donum perseverantiæ gratis datur, sicut et prima vocatio; et sic electio ad primam gratiam ex misericordia est, non ex debito, et similiter electio ad gratiam, seu perseverantiam. Et hoc non negat opposita sententia: sed tamen electio ad ipsam gloriam ut dandam de facto post perseverantiam, non est ante merita, sed supponit illam, et ex illis est, licet supponat electionem gratuitam ad ipsam perseverantiam, quæ supervenit meritis, sicut etiam supponit electionem gratuitam ad ipsam primam gratiam ex qua procedunt merita. Sic ergo concedit opposita sententia electionem ad gloriam esse ex motivo gratuito præsuppositivæ, et antecedenter, quatenus supponit electionem ad gratiam, sive primam, sive finalem, quæ est perseverantia, gratis factam, sed tamen ipsa electio efficax ad gloriam, secundum quod gloria distinguitur a perseverantia, non est ante merita, sed ex illis, quia si supponit perseverantiam, quanto magis meri-

ta quæ sunt ante perseverantiam.

V. Sed contra primam solutionem instatur, quia nec nos dicimus perseverantiam esse titulum, sed conditionem dandi gloriam, requisitam tamen ut meritis gloria reddatur, et hanc non debet supponere, sed largiri gratis, et sine meritis ille qui dat gloriam, ita quod post exhibita merita, requiritur hoc donum gratuito datum, ut cum illo detur gloria: ergo est sufficiens motivum eligendi, et intendendi gratis ad gloriam, etiamsi danda sit quoad executionem intuitu meritorum. Patet hæc consequentia, quia quando Deus videt hanc gloriam dandam istis præ illis ut coronam, et intuitu meritorum, etiam videt efficaciter non posse dari illis meritis positis, nisi gratuito quodam dono superaddatur illis finalis perseverantia, quæ sine meritis datur, et ad quam immediate, et infallibiliter gloria consequitur: ergo electio efficax, et intentio dandi gloriam intuitu meritorum supponit, et prærequirit aliud motivum cæteris efficacius pendens ex mera liberalitate, et gratia Dei, nempe illudmet motivum quo movetur Deus ad dandam perseverantiam finalem, etiam post merita, et tamen non ex meritis dat illam: potest ergo similiter Deus prævidens hanc gloriam dandam ut coronam ex meritis, et volens non nisi per merita dare illam, moveri ex motivo gratuitæ liberalitatis suæ ad eligendum totum hoc simul, scilicet coronam ex meritis dandam, si quidem non sufficiunt merita ad efficacem consecutionem coronæ, nisi fulciantur gratuita donatione perseverantiæ danda ab ipsomet qui daturus est coronam illam: ergo potest ex eodem gratuito motivo habere hanc intentionem. Volo ex mea liberalitate efficacem consecutionem hujus coronæ ponere adhibendo illa quæ

ex mea liberalitate requiruntur ut gloria ista comparetur. Et hoc motivum non est ex meritis, quia illo indigent ipsa merita ut consecutio efficax sit. Ergo bene stat Deum intendere efficacem gloriæ consecutionem, et non ex meritis, licet ibi in obliquo includantur merita, quia vult finem relate ad illa, ut ad titulum ex parte personæ electæ ad gloriam, sed non ut motivum ex parte Dei pro efficacia ipsa consecutionis: licet enim merita dent titulum, sed non efficaciam consecutionis, nisi superveniente dono gratuito, ut de facto consecutio fiat. Non ergo quia perseverantia est titulus, sed quia non est titulus ex parte personæ electæ, sed conditio requisita, et a sola Dei liberalitate donanda, oritur motivum liberale ad intendendum efficaciter gratia supra merita, seu non ex meritis. Et in hoc differt electio Dei ad gloriam, ut ad coronam, et electio regis præmiantis ad sua præmia: nam rex ita proponit præmium distribuendum, quod nec merita, nec virtutem merendi, nec perseverantiam donat gratis, sed supponit, solum autem procedit ad præmia danda ex istorum omnium suppositione. Quare non est ei alia via, et motivum dandi præmium efficaciter, nisi ex vi meritorum, Deus autem non sic, sed ita dat præmium, et coronam ut iudex, quod etiam dat merita, et virtutem merendi ut prima causa, et ultra hæc omnia dat gratis perseverantiam finalem, sine qua efficaciter non datur gloria; et sic remanet ei locus habendi motivum gratuitum, et liberale dandi gloriam ut efficaciter, et in re ponendam gratis, licet respectu personæ in executione titulo meriti, et ex debito detur.

VI. Secunda autem solutio minus elevat vim argumenti; quia non stat electionem ad gratiam finalem esse gratuitam, et electionem, seu

intentionem gloriæ, ut efficaciter, et in re dandæ non esse gratuitam, seu ex motivo gratuito procedere: nam illud quo ultimo disponitur ut detur in re, et de facto ipse finis seu præmium, si præcognoscitur in intentione, potest movere præmiantem, ut illo determinetur ad ponendum in re, seu dandum tale præmium, sed Deus prævidet quod quantumcumque eliciantur merita per gratiam suam, nisi gratis, et ex misericordia sua det perseverantiam finalem, merita illa non inducunt debitum, ut exhibeatur, et ponatur de facto gloria; ergo potest nisi motivo gratuito, et liberali ad volendum totum hoc, scilicet efficaciter ponere gloriam, ut coronam intuitu meritorum dependentium a gratuito dono superaddito a Deo, ut finis ipse detur, nempe a perseverantia finali. Ubi autem merita non obligant, neque inducunt debitum nisi dependenter a gratuito dono præmiantis, qui respicit merita sic dependentia a sua gratia, et liberalitate, et tamen vult ut de facto detur gloria, ex motivo liberalitatis ad id volendum, et intendendum movetur, quia ex tali motivo, et non sine illo merita valent et inducunt ad præmium. Nec obstat quod perseverantia supponit merita: et sic volens gloriam dare intuitu gratuito perseverantiæ, a fortiori intuitu meritorum, super quæ cadit perseverantia. Non inquam obstat, quia supponit merita ut significantia personam quantum est ex se, sed non sufficienter inducentia præmiantem ad realem exhibitionem præmii, nisi dependenter ab aliquo a se dando gratuito, id est, a perseverantia. Ergo voluntas decernens dare præmium hoc de facto, et in re absolute moveri debet ex motivo aliquo gratuito, sine quo ipsa merita non sufficienter inducunt, etiamsi dignificent personam, quia